



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Concilia Galliæ Narbonensis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1668**

XVII. Bulla Innocentij IV. qua declarat Inquisitores hæreticæ pravitatis nihil agere debere absque Archiepiscopo Narbonensi alioqui perperam & frustra agere id quod agunt. Ex archivo Archiepiscopi ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14646**

que juris injuria non veretur , aliàs ipsum & Ecclesiā suam multipliciter molestando. Quia vero ad dignitatem pertinet regiam Ecclesias & personas ecclesiasticas defensare , celsitudinem tuam rogamus & hortamur attentè quatinus considerato clementer devotionis constantiam quam idem Archiepiscopus & prædecessores ejus , qui fuerunt pro tempore , ad te tuosque progenitores habuisse noscuntur non absque multis oneribus expensarum , manutenens eundem Archiepiscopum & ejus Ecclesiam ac defendens , non permittas ipsum & ejus Ecclesiam à predicto A. seu quolibet alio indebet molestari , molestatores eorum , si qui fuerint , potestate tibi cœlitus tradita compescendo , quin etiam compellendo prefatum A. quod eidem Archiepiscopo de illatis injuriis satisfactionem exhibeat competentem , & ab ipsius molestatione super præmissis & aliis de cetero penitus conquiescat. Datum Lugduni III. Kal. Iunij , pontificatus nostri anno quarto.

## XVII.

Bulla Innocentij IV. qua declarat Inquisidores hæreticæ pravitatis nihil agere debere absque Archiepiscopo Narbonensi alioqui perperam & frustra agere id quod agunt.

*Ex archivō Archiepiscopi Narbonensis.*

**I**NNOCENTIUS Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Abbatи sancti Jacobi Biterrensis salutem & apostolicam benedictionem. Suus nobis venerabilis frater noster Archiepiscopus Narbonensis

bonensis petitione monstravit quod cum fratri Petro Duranti ordinis Prædicatorum ejusque collegis tunc Inquisitoribus pravitatis hæreticæ à sede apostolica in Narbonensi provincia deputatis expressè injunctum fuerit ab eadem sede ut tam in absolvendo, vel reconciliando, quam etiam condemnando illos quos de pravitate prædicta reos esse constarer, procederent de ipsius Archiepiscopi conniventia & assensu, iidem Inquisitores circumventi à Petro de Cugunhano Milite Narbonensis diocesis, mandati formam perperam excedentes, ipsum, quem per inquisitionem invenerant vitio prædicto respersum, eodem irrequisito Archiepiscopo de facto absolvere in scandalum Cleri & populi & derogationem orthodoxæ fidei præsumperunt. Quocirca discretioniæ per apostolica scripta mandamus quatinus si est ita, prædictorum Inquisitorum processum, quatenus de facto processit, legitimè auctoritate nostra revocans, in eodem negotio juxta formam datam eisdem Inquisitoribus procedere non omittas, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Lugduni III. Kal. Novembris, pontificatus nostri anno septimo.

## XVIII.

Innocentij IV. epistola ad Episcopum Carcassonensem, qua revocat privilegium Vicecomitissæ Narbonensi concessum adversus interdictum ecclesiasticum.

*Ex archivo Archiepiscopi Narbonensis.*

INNOCENTIUS Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Episcopo Carcassonensi sa-

g